עמנואל

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Mirabimini forte, nec immeritò Illustres Generosi Viri, quid Causæ sit, quod animos vestros publicis Curis, negotijsq; assiduè intentos, districtosq; manium literarū mearū lectione, nimisq; temerè interpellare non erubescam. Verū si aliquam hujus facti mei rationem admiseritis, Certum est, aut admirari desinatis, tantū abest, ut sitis vel audaciam interpretaturi, vel alicujus damnaturi temeritatis. Postquam enim Cuidam exercitio meo Academico, ab augusto nomine vestro, decus et splendorem quærere non erubui. Iure quodam vobis mihiq; id vindicante, faciendum existimavi, ut scriptum illud, quod iam vobis inscijs, apud exteros dedicatione ac nitore nominis vestri fulget, Coram lectionem, ac illustrem aspectum vestrum subeundo, ejus, quo, iam nitet splendoris augmentum consequeretur: Hinc inductus eò perrexi protervicæ, ut literas has adjungerem, quibus gratiæ ac favori vestro sese penitus insinuaret: vel ideò quoq;, quod sicuti de benevolentia erga me vestra nihil dubito, ita mihi plane persuasum habeo, vos non omninò abhorrere ab hoc exercitationum genere, quamvis umbratili et scholastico; quippè quod pro materia et objecto habet justitiam et æquitatem; Cujus vos non solum studiosos, et amantes, verum etiam vindices acerrimos nunquam non extitisse, haectenus universum Belgium nostrū loquitur, testantur tot labores, et munera publica maximè ardua, quibus salus Societatis humanæ fulcitur: quorū ut tandem fructū nobiscum videatis, Cum sublatis armis pax in Europa florebit, faxit Deus. Opt. Max. Illud igitur quale quale sit, vobis, Illustres Viri, hisce una reverenter transmitto, et addico meritò, ut est in antiqua formula: Cupioq; hanc προσφωνησιν testem esse meæ erga vos observantiæ, ac submissionis sempiternæ. Vos ergo Magnifici Viri supplex oro, ut hunc quasi ingenij mei fœtum, quam strenæ loco vobis designo, mittoq;, benigno vultu, affectuq; suscipere, me promotionemq; meam in gremio favoris vestri imposterum fovere dignemini. Ita vos Deus bono Reipublicæ quam diutissime incolumes superstitesq; conservet; Imprimis autem vobis, totiq; familiæ vestræ, hunc novū annum per omnia quam felicissimè evenire Cupiat. Valete Viri Eminentissimi, ut meremini. Dabam raptim Franekeræ Anno 1645 ipsis Kalendis Januarij

Illustr. Vestr. eminentiæ
observantiss. cliens ac
mancipium
Joan. Gilenius
J.V. candidatus ac
SS. Theol. studiosus.

B.P.L. 1961
Gilenius Johann Theolog

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1961
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3863

VIRIS

Generosiss. magnificis literatissimisq.
DD. CHRIST. ab HUIGENS domino
in Zuijlechem. ut et D. JAC. JUNIO
utriq. Serenissimo principi Auriaco
à Secretis et Consilijs Secretioribus
Mecaenatib. dominisq. suis modis omnib.
Colendissimis.

Franc.

Hagae Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1961
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3863